

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11



1668.

1. Brederlo, Bartholomaeus: De numero, quem Plato rebus p[ublicis] fatalem statuit.
2. Crancerus, Martinus Zacharias: De artis excellentia
3. Eckolus, Amatus: De jure statutatio vulgo statuto.
4. Eckolus, Amatus: De affectione juridica.
5. Eckolus, Amatus: De Publiciana.
6. Eckolus, Amatus: De jure sequelae. vulgo Folge oder Zug.
7. Heingius, Georgius: De thesauris.
8. Hekehus, Joh. Fried: De licito sit, fornicari oscula admittere
9. Locher, Tractatus Albertus: De subscriptione
10. Meyerus, Jo. Ulricus: De questionibus.
11. Menckelius, Otto: De acquisitione originaria juris in personas.

1668

12. Maelius, Tobias, fac. jur. proconcellarius & lechuris
salutem / Programma, quo ad actum sollemnem Gottho-
fredi Shuerii, Martini Zachariae Cramerii et sequ.
invitat.
13. Wlyschus, Fridericus: De repressaliis
14. Romanus, Paulus Franciscus: De Quasi-heriaca
15. Romanus, Paulus Franciscus: De pactis
16. Romanus, Paulus Franciscus: De praescriptioni-
bus.
17. Romanus, Paulus Franciscus: De cambis
18. Romanus, Paulus Franciscus: De dardanariis
19. Romanus, Paulus Franciscus: De venatione
20. Romanus, Paulus Franciscus: De calculo binomiali.
21. Romanus, Wilhelmus: De amore
22. Schader, Christianus: De hereditate femineae
iudicio.

1668

23. Schweyfleischius, Amicus Saund: De induciis
24. Schreder, Hurian: De dominio eminente
25. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus: De esse-
curatione.
26. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De cessione bonorum.
27. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De usucapione pro herede.
28. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De iustis
29. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De jure vasalli reali.
30. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De comminatione
31. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De confessione in judiciali.
32. Sreudentaerferus, Hieronymus Tobias: De mortis
causa donationibus.

1688.

33. Schreindorfferus, Georgius Tobias : De compa-
sione obligationum.

34. Tellerus, Romanus : De obligatione filiorum in
fundo.

No. 31

1668, 16

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE
PRÆSCRIPTIO-
NIBUS,

Permissu Magnifici & Nobilissimi
Jctorum Ordinis in Illustri Philuræâ,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO,

DN.

PAULO FRANCISCO ROMANO,

J. U. D. longè celeberrimo,

*Domino Patrono, Fautore ac Præceptore
suo atatem devenerando,*

Publicæ Eruditorum censuræ submittit
ad d. 2. Octobr. Anno 1668.

AUTOR

JOHANNES LEONHARDUS BURSIVS,
Jslebiens. Saxo.

L I P S I Æ,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

P. Lic. (arg.)

DISSELTATIONEM JURIDICAM

PRÆSCRIPITIO

NIBELIS

Permissu Magnifico & Nobilissimi

Rectoris Ordinis in Illustri Phibica

PHIBICA

PAULO FRANCISCO ROMANO

J. U. D. longè celeberrimo

Domino Paterno, Patrore ac Professori

in eadem Phibica

Publici Juridicorum Professori

ad J. U. D. Phibicam

AUTOR

JOHANNES LEONHARDUS BURSILIUS

Publici Juris

PHIBICÆ

PHIBICÆ



Prooemium.

Quod Promus ille Civilis prudentia
Condus C. Cornel. Tacitus alicubi
lib. 15. *annal.* dicit: Habet aliquid
ex iniquo omne magnum Exem-
plum, quod utilitate publicâ contra singulos
rependitur: *illud in præscriptionum & usuca-
pionum materiâ potissimum verum esse, perspi-
cimus. Quis enim primâ fronte non iniquum
censeret, Dominû invitû atq; ignorantem re suâ
privari, eumq; ut illa in aliû transferatur, pati
debere, cum communis ista Juris regula: Quod
nostrum est, sine facto nostro ad aliû transferri
nequit, l. ii. ff. de R. J. ex diametro adversetur?
quis naturali aequitati consentaneum arbitrare-
tur, veterem possessorê ob solum lapsum temporis
dominiò suo excidere. Verum enim verò, si paulò
penitiùs originem præscriptionû intuemur, eamq;
aquâ mentis lance trutinamus, hunc Juris Civi-
lis acquirendi modum non absq; summa ratione
ac Reipublica commodo introductum fuisse, fa-
teamur oportet. Quis enim non videt, mediante
hòc salutari legum auxilio, primarium omnium
Legislatorum scopum, publicam nempe; populi*
I. II. A 2 salu-

44
P. Lic. (arg.)



salutē, quā aliās suprema lex vocari consuevit,
cuiq; cetera omnes ceu fundamento inniti debent,
attingi? Nam si quovis tempore veteri Domino
liceret novum possessorem interpellare, dominiq;
questionem movere, non nisi turba ac rixae nun-
quam moriturae in Republica exorirentur, nul-
lusq; de proprietate rei suae securus esse posset.
Quapropter necessario salubre illud Juris reme-
dium quaerendum erat, quò & dominia rerum
certa essent, l. i. ff. de Usuc. simulq; litium, quae ali-
às immortales forent, fatalis quidam terminus
statueretur, l. ult. ff. pro suo. Et licet quoddam
privatorum damnum hic intercedere, non facile
negari queat, id tamen plus satis à publicā, quae
in omnes pariter subditos redundat, utilitate
rependitur. Hanc itaq; Juris Civilis materiam,
cum ipsa sui utilitate ac nobilitate sese satis com-
mendet, impraesentiarum aggredi, nobis est ani-
mus, quod ut faustè ac feliciter nobis cedat, De-
um ter Optimum Maximum, à quo omnis bo-
ni Origo, ut conatibus nostris favere velit,
obnixè oramus.

Th. I.

THES. I.

PRiusquàm ad præsentis nostræ materiæ definitionem perveniamus, non incongruum nobis videtur, paucula quædam de ipso Præscriptionis vocabulo in medium asserre, quò deindè, cùm consveto mori hòc modò satisfactum fuerit, eò melius inoffenso pede progredi queamus.

TH. II.

Vocem præscriptionis à verbo, præscribere, originem trahere, satis, ut opinor, notum est. Illud verò idem, quod præfinire, præfigere, statuere &c. denotat *c. 2. X. de concess. præb. c. in sing. 19. dist. 86.* Et ratio quidem appellationis hæc esse videtur, quod nempe præscriptio tempus præfiniat ac statuatur, quò elapsò aliquis vel dominiò vel actione, aliàs sibi competente, privetur. Non procul hinc abscedit Germanica appellatio, Verjährung / à verjähren dicta.

TH. III.

Variè autem hæc vox accipitur, tribus tamen potissimum, modis. I. enim Rhetoribus translationis speciem significat, quâ modus, tempus, locus, aliæq; circumstantiæ actionis determinantur, & quasi circumscribuntur, uti videre est ex *lib. I. Cic. ad Heren. c. 5. Wesenbec. in parat. de except. n. 4. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. disp. 22. th. 1. lit. H.* II. in Jure Nostro generaliter omnem exceptionem denotat, *t. t. ff. de exc. & præscr. l. 2. §. 1. & c. ad L. Jul. de Adult. l. 3. in princ. ff. de prævar. l. 2. C. si contra Jus vel utilit. & c. Bachov. l. c. Balb. tract. de præscr. P. I. princ. qu. 3.* quod à Græcis, quibus exceptio *ἡ ἀφαιρέσις* dicitur, desumptum esse, non immeritò aliquis suspicari posset. Specialiter verò sub præscriptionis nomine ex præcipuè exceptiones veniunt, quæ ex solo lapsu temporis descendunt. *t. t. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* III. deniq; pro acquisitione per longam possessionem latè usurpatur, & hòc modò cum usucapione coincidit, *princ. Instit. de Usuc. & long. temp. præscript. l. un. C. de Usuc. transf. t. t. C. de præscr. long. temp.* Nobis tum secundâ, tum potissimum hæc ultimâ significatione, præscriptio in præsentis nostrâ tractatione consideranda veniet.

TH. IV.

Multa verò synonyma præscriptionis passim in Jure Nostro occurrunt, potiora ferè sequentia sunt: *Usucapio*, multis enim in lo-

lic. (arg.)

cis promiscuè Usucapio pro Præscriptione, & vice versâ, usurpatur, ut in *l. 21. ff. de Usuc. & l. 54. ff. de Eviçtion.* (olim quidem ante Justiniani sanctionem Usucapio & Præscriptio tribus præcipuè modis à se invicem discrepabant, rebus videlicet possessis, tempore & effectu. I. *rebus*, Usucapio enim erat rerum mobilium quarumvis, & immobilium saltem Italicarum; Præscriptio verò rerum immobilium provincialium *princ. Instit. h. t. l. un. C. de Usuc. transf.* hincq; patet, erroneam esse communem Dd. opinionem, quâ præscriptionem ab Usucapione ita distinguunt, ut illa immobilium, hæc verò tantum mobilium rerum sit. *Meier. in Colleg. Arg. ad h. t. §. 1. n. 2. & seqq.* II. *tempore*, Usucapio in rebus mobilibus semper requirebat annum tempus, *l. 31. §. 1. ff. h. t.* in immobilibus Italicis biennium, *§. 1. Inst. h. t.* Præscriptio verò longum tempus 10. aut 20. annorum, *l. 11. C. de præscr. long. temp. l. 10. ff. si servitus vindicetur.* III. *Effectu.* Usucapione acquirebatur directum dominium, *l. 3. ff. h. t. l. 20. C. de pact.* præscriptione non item, sed tantum Jus quoddam, dominio proximum, *l. ult. in princ. C. de long. temp. præscr. Cujac. in parat. C. de long. temp. præscr. Don. 5. Comment. 4.* Hodie verò differentia ista per Justinianum sublata, & quæ antea usucapioni propria erant, præscriptioni quoq; communicata sunt, *d. l. un. C. de Usuc. transf. & l. un. C. de nudo Jur. quir. Vid. Bachov. ad Trentl. Vol. 2. disp. 22. th. 1. lit. H. per tot. Wisenbach. P. II. disp. 20. th. 3. Hahn. in not. ad Wesenb. h. t. n. 3. Meier. Colleg. Arg. loc. c. & alii*) Usus *l. 20. & 23. ff. ex quib. caus. major. 25. ann. Temporis definitio, l. saepe numero 1. C. de rei domin. vel templ. vind. suffragium temporis, l. si inter 24. ff. de donat. inter Virum & lex. Incubatio diuturna, l. fin. dot. C. de rei domin. vel templ. & c. Longi temporis spatium l. Prætoris s. princ. ff. de damno infecto, Temporalis Exceptio l. 1. C. de Annal. Except. & si quæ sunt alia, quibus ulterius recensendis, prolixitatis evitandæ gratiâ, supersedeo.*

TH. V.

Hisce ita breviter delibatis, ad ipsam jam præscriptionis definitionem nos accingimus. Cum verò ea duplici modo considerari possit, partim, quatenus est acquisitio Juris in re, (uti jam *th. 3.* ubi de Homonymiâ egimus, subinnuimus) & ab Usucapione non discrepat, partim, quatenus removet agentem Jure longæ possessionis, & nihil est

est aliud, quàm exceptio, notante *Bachov. l. c.* ideòq; ob dupli-
cem hunc respectum, dupliciter quoq; nobis definienda erit. Prio-
ri quidem modò, & quatenus est modus acquirendi domini, rectè
ex *l. 3. ff. de Usurp. & Usuc.* definitur: Adjectio Domini per pos-
sessionem temporis lege definiti. Posteriori verò modo, & prout
exceptio est, ita ferè describi potest, quod sit exceptio, quâ agens
post certum & à lege constitutum tempus ab actione, aliàs sibi
competente, repellitur.

TH. VI.

Genus prioris definitionis quod concernit, continetur illud
sub verbis illis: *adjectio domini*. Et quanquam alii cum *Cujacio*
loco verbi *adjectio*, potiùs *ademptio* legendum esse, svadent, moti
authoritate & suffragio *Ulpiani* in fragm. t. 19. §. 7. tamen cum fra-
gmenta illa, utpote dubiæ fidei, nullâ hodiè vel saltem exiguâ autho-
ritate pollere constet, meritò verbum *adjectio* potiùs retinendum
esse videtur.

TH. VII.

Differentia Definitionis desumitur à forma, quæ est possessio.
Uti enim Dominium rerum ex naturali possessione cœpit. *l. 1. §. 1. ff.*
de acquir. vel amitt. poss. ita quoq; basis Usucapionis est possessio,
& nunquam sine hâc illa procedere potest, *l. sine possessione 25. ff.*
de Usurpat. & Usuc. l. 44. in fin. ff. eod. Qualis verò debeat esse pos-
sessio, quibusq; requisitis instructa, id meliùs infra th. 17. ubi de
forma singulatim agemus, declarabitur, & ideò absq; ulteriori
morâ ad divisionem præscriptionum accedimus.

TH. VIII.

Dividi possunt præscriptiones vel ratione Objecti, vel ratione
adjuncti sive temporis.

TH. IX.

Ratione Objecti præscriptio est I. vel *rerum mobilium*, vel
immobilium, II. vel *rerum corporalium* vel *incorporalium*. Res mo-
biles antiquitùs anno uno præscribebantur, hodiè verò, cum Jus an-
tiquum correctum sit, triennio, *princ. Inst. h. t. l. un. C. de Usuc.*
transf. Immobiles Italicæ olim bienniò tantum, hodiè verò indiffe-
renter omnes tam Italicæ, quàm Provinciales, decenniò inter præsen-
tes,

H. Lic. (arg.)

tes, & vicenniō inter absentes usucapiuntur, II. antè alleg. Rerum
incorporalium, servitutum ac actionum præscriptio Juri ff. inco-
gnita demum Jure codicis introducta, 30. vel 40. annor. spatio
absolvitur, l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 2. C. de constit. pecun.
Sed de his plenius in mox subsequendis thesibus tractabitur.

TH. X.

Ratione temporis præscriptio est I. *annalis*, quâ quondam,
uti thes. anteced. dictum, res mobiles usucapiebantur. Præscribitur
præterea hōc temporis spatio, actioni injuriarum & quidem Præto-
ria, l. 5. C. de injur. non verò illi, quæ ex L. Corn. descendit, & perpe-
tua est, l. 37. ff. de injur. omnibus actionibus Prætoriis, l. 35. ff. de
O. & A. item Actioni Paulianæ, l. 1. & rot. tit. ff. quæ in fraud. cre-
dit. II. *Biennalis*, quâ olim res immobiles, & quidem Italici tan-
tum soli, acquirebantur, sed hæc deinde per Justinianum, uti & di-
stinctio inter res soli Italici & Provincialis, penitus sublata fuerunt,
d. l. un. C. de usuc. transf. Hodiè præterea hōc tempore præscribi-
tur actioni doli, l. 8. C. de dolo malo. III. *Triennalis*, quâ hodiè usu-
capiuntur omnes res mobiles, t. t. Inst. & C. de usuc. & præscr. IV.
Quadriennalis, quâ utuntur (1.) privati contra Fiscum, ob bona va-
cantia nondum denunciata, & intra quadriennium neglecta, l. 18. ff.
de usuc. l. 10. ff. de div. temp. except. l. 1. C. de quadrienn. præscr. (2.)
Fiscus contra illos, quibus vendidit rem alienam, §. 9. Inst. b. t.
Idem præterea tempus præfixum est restitutionibus in integrum, l.
fin. C. de restit. in integrum. V. *Quinquennalis*, quâ præscribitur
actioni commissi ob non solum vectigal, l. 2. C. de vectig. & com-
mis. item querelæ inofficiosi testamenti, l. 8. §. ult. cum ll. seqq. ff.
de inoffic. testam. l. 16. C. eod. ut & accusationi adulterii, l. 29. §. 5.
6. & 7. ff. ad L. Jul. de adult. l. 5. C. eod. quod tempus & adhuc ho-
diè in simplici adulterio, in Foro Saxonico observari, probat Magn.
Dn. Carpz. J. P. F. S. P. IV. C. 19. def. 13. & Pract. Crim. P. II. qu. 59.
n. 22. & seqq. & expressè sancitum in nup. Decis. Elect. 84. VI. *De-
cennalis*, quâ præscribuntur res immobiles, inter præsentis, & hæc
uti & vicennalis communiter longi temporis præscriptiones vocan-
tur, t. t. Inst. b. t. & t. t. C. de præscr. long. temp. Dicuntur verò præ-
sentes, Jure Civili, qui in eadem provinciâ habitant, sep. alleg. l. un.
C. de usuc. transf. l. 12. C. de præscr. long. temp. hodiè verò, qui sunt
in eod.

in eodem territorio unius Principis. Ad immobilium exemplum, usucapiuntur quoque hodiè servitutes, *l. 2. C. de servit. l. fin. C. de prescr. long. temp.* Licet enim Jure veteri servitutes, tum quod res incorporales essent, tum quoq; propter L. Scriboniam, non potuerint usucapi *l. 4. §. fin. b. t.* illud tamen per ante adductas leges à Justiniano immutatum fuit. *Vid. Hahn. not. ad Wesenb. de servit. n. 5. & Bachov. v. 2. Disp. 22. tb. 2. lit. g.* VII. *Vicennalis*, quæ res immobiles inter absentes usucapiuntur. Absentes variè aliàs in Jure Nostro dicuntur, uti videre licet ex *l. 173. §. 1. ff. de V. S.* hîc ii denotantur, qui in diversis provinciis domicilia habent, per antè adductas II. Statutum præterea hoc tempus est ferè actionibus omnibus criminalibus, *l. querela, 12. C. ad L. Corn. de fals.* Exceptis quibusdam, quæ vel penitùs præscriptionem effugiunt, ut crimen suppositi partus, *l. 19. in fin. ff. ad L. Corn. de fals* & crimen parricidii, *l. fin. ff. ad L. Pompej. de parricid.* vel angustiori tempore sunt coarctatæ, ut accusatio adulterii, antè *alleg. l. 5. C. ad L. Jul. de adult.* crimen peculatus, *l. 7. ff. ad L. Jul. pecul.* Porrò hæc Præscriptio actionum criminalium hodiè quoq; in Foro Saxonix adhuc viget, teste *Magn. Dn. Carpz. P. II. J. P. F. S. C. 3. d. 4. n. 5. & lib. Resp. 15. n. 13.* & ampliùs inquisitionem Judicis quoque tollit, tum quòd ea accusationis vicibus fungatur, *l. 18. in princ. ff. de Offic. Pres. l. 2. C. de abolit cap. qualiter & quoniam X. de accusat.* adeòq; pari cum illa pasu ambulare debeat, tum quòd aliàs parum utilis futura sit præscriptio, cum hodiè delicta ferè omnia officio Magistratus coèrcantur, *vid. laud. Dn. Carpz. Pr. Crim. P. III. qv. 141. n. 18. & seqq.* VIII. *Tricennalis*, quæ Jure Codicis demum introducta fuit, & communiter vocari solet præscriptio longissimi temporis, *l. 1. C. de prescr. 30. vel 40. ann.* Hæc præscribuntur res immobiles sine titulo & bono fide, adeò, ut etiam res furtivæ ac vi possessæ, quæ aliàs per longi temporis spatium non possunt usucapi, *§. 2. Inst. b. t. 30. annis* præscribantur non solùm à tertio possessore, sed etiam ab ipso fure & violento invasore, cum vitium illud, quod aliàs rebus istis inhærebat, unà cum ipsa furti actione tollatur, *l. 1. §. 1. C. de annal. except.* Præscribitur præterea 30. annis actionibus tam realibus, quàm personalibus, *l. 3. C. de prescr. 30. vel 40. ann* exceptis aliquibus, quæ vel pauciori tempore excluduntur, ut actio injur., actio doli

B

in

Lic. (arg)



in integrum restitutiones &c. de quibus jam antè actum, vel longiori, ut 40. annis, de quò paulò post. Si quis præterea per 30. annorum spatium rem aliquam, ut feudum, possedit, & servitia pro ea Domino præstitit, eâ præscriptione se tueri potest, licet nunquam investitus fuerit, II. feud. 26. §. si quis Dn. Struv. Synt. Jur. feud. c. 5. §. 12. Georg. Schulze Synops. Jur. Feud. c. 9. §. 84. & seqq. IX. quadragenaria, quâ præscribuntur res Ecclesiasticæ, tam mobiles, quàm immobiles, ut & omnes actiones ac Jura, Ecclesiis competentia, tam Jure Civili. *Auth. quas actiones C. de S. Sanctis Eccles. Nov. III. c. 1. Nov. 131. c. 6. quàm Jure Canonico C. de quarta. c. ad aures 6. X. de præscr.* Idem quoque obtinet Jure Saxon. *Const. Elect. 5. P. II.* Huc denique referuntur actiones hypothecariæ, quibus itidem 40. annis præscribitur, *l. 1. §. 1. C. de annal. exc. l. 7. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* X. Denique videnda restat præscriptio centenaria & immemoralis. Et illa quidem omnibus antè Ecclesiis competebat, uti videre licet ex *l. 23. C. de S. Sanct. Eccles.* verùm per *Nov. III* correctà ad 40. annos reduccta fuit. An verò Ecclesia Romana adhuc centenariâ præscriptione gaudeat, non satis expeditum est. Et licet quoq; *Novellam istam III.* communiter ad illam extendant, nobis tamen contraria potiùs sententia probanda esse videtur, cum *Nov. 9. & Auth. quas actiones C. de SS. Ecclesiis* specialiter de Romana Ecclesia, *Nov. verò III. & 131.* generaliter loquantur, genus verò nunquam speciei derogare, notum sit, *c. ad audient. 13. C. cum nobis 14. X. de præscr. Vid. Gudel. de Jur. Novis L. VI. 13. Habn. ad Wesenb. b. t. n. 7. Dn. Brunneman ad d. Auth. quas actiones.* Eandem quoque competere adhuc civitatibus, statuere non veremur, cum lex antè adducta *23. C. de SS. Eccles.* eâtenus, quâtenus de civitatibus loquitur, nunquam specialiter sit correctà, & aliàs ultra expressos casus correctio II. utpote odiosa, non sit extendenda *l. precipimus 32. in fin. C. de appell.* Præscriptio immemoralis ita à tempore, cujus nulla memoria ampliùs extat, dicitur *c. 1. in VI. de præscr.* & mediante eâ vectigalia quoque Principis ac alia regalia præscribi posse, communiter statuitur, *c. super quibusdam 26. §. præterea X. de V. S. X. II. de anno 1548. Augusta, §. Wenn auch §. hätte aber/ ibi innerhalb Menschen gedencfen, Gail. lib. 1. obs. 21. n. 15.* Quomodo verò, & quibus modis

modis à centenaria præscriptione differat, videri potest apud *Magna*
Dn. Carpz. J. P. F. S. P. I. C. 16. def. 74. & P. II. C. 1. def. 7.

TH. XI.

Jus Saxonicum duas saltem præscriptionis species agnoscit,
unam unius anni & 6. septimanarum, quâ omnia mobilia, item
utensilia & expeditoria usucapiuntur, vocaturq; Germanicè *Jahr und*
Tag/ das ist ein Jahr und 6. Wochen. Landrecht lib. II. art. 28. in princ.
& lib. II. art. 44. Gloss. Weichbild art. 4. in verb. Jahr und Tag/
alteram 31. annorum cum 6. Septimanis, quâ omnes, res immobiles
& incorporales, præscribuntur, vocaturq; German. *drenßig Jahr/*
Jahr und Tag. Landrecht lib. 1. art. 29. Huic posteriori adhuc tridu-
um adjecit *Const. Elect. 6. P. II. Rauchb. P. II. qu. 24. n. 34. Matth.*
Col. decis. 20. n. 14. Dn. Carpz. J. P. F. S. P. II. C. 3. d. 3. 4. & seqq.
Notandum tamen, hisce duabus præscriptionû speciebus non omnes
alias Juris Civilis, quæ vel pauciori, vel majori temporis spatio in-
cluduntur, absorberi, cum istæ duæ regulares ac decretoriæ, uti lo-
quuntur, illæ verò irregulares sint, & ex peculiari causa descendant.
Heig. P. II. qu. 16. n. 50. Dn. Carpz. l. c.

TH. XII.

Recensitis breviter præscriptionum speciebus, jam causa ea-
rundem efficiens se offert tractandam. Hæc verò est vel remota, vel
propinqua.

TH. XIII.

Remota est Jus Civile, quod ob publicam utilitatem, ne domi-
nia rerum semper sint in incerto, *l. 1. ff. de usuc. utq; litium aliquis fi-*
nis esset, l. ult. ff. pro suo, Jus Usucapiendi introduxit. In specie au-
tem ad *LL. 12. rabb. communiter Juris interpretes Originem Usu-*
captionis referunt, quibus quoq; ad stipulatur Cicero in Topic. & in
Orat. pro Cæcina. Quanquam verò aliis quoq; gentibus hocce Jus
non penitus incognitum fuisse, rectè statuatur, (uti *Grot. L. II. de J.*
B. & P. c. 4. 2. & 9. & Wissembach. P. II. Disp. 20. th. 11 de variis
populis id probant) non tamen ideò protinus Usucapionē, quâ talem
Jurisgentium esse efficitur. Quod enim de Patriâ potestate *S. 2.*
Inst. de Patr. pot. dicitur, eam, quâ talem Jus Civilis esse, illud quo-
que

B 2

que

H. Lic. (arg.)

que non absimili ferè modò de hóc nostro Præscriptionum Ju-
re prædicare posse existimamus. Hucque non parum facere vi-
detur distinctio illa, quâ aliquid vel absolutè, vel relativè ad
Rempublicam Romanam considerari potest, ita, ut priori respectu
& quoad Originem Juris Gentium, posteriori verò Juris Civilis etiã
Usucapionem esse, non incongruè statui posse videatur. Antequã
verò hinc abeamus, placet paucis quæstionem illam, an nimirum
Usucapio naturali æquitati adversetur, discutere. Scilicet plurimi re-
perti fuerunt, qui totum Usucapionum ac Præscriptionum Jus, cum
Jure Naturali è diametro pugnare, adeòq; in conscientiæ foro non
observandum esse, scribere non sunt veriti. Nobis jam non est animus,
omnium illorum Authorum (de quibus videri potest *Gilken. tr. de
Usuc. & Præscr. P. I. c. 1. per tot.*) catalogum, eorumq; argumenta
in medium adducere, sed satis erit breviter saltem ac *ὡς ἐν παροῶν*
potiora ac præcipua delibare. Et primã quidem fronte satis obsta-
re videtur commune illud Juris effatum, quod nemo debeat cum
aliena jactura & injuria locupletari, *l. nam hoc natura 14. ff. de
condict. indeb. l. Jure Natura 206. ff. de R. J. C. locupletari de Reg.
Jur. in VI.* Deindè in ipsa *Nov. 9.* præscriptio impium præsidium
vocatur, verbis illis: Nec iniquis hominibus impium remaneat præ-
sidium &c. quò præscriptionem innui, quilibet videt. Hæc verò tan-
tùm roboris non habent, quò nos ab opinione semel recepta rece-
dere cogant; Cùm enim salus Populi suprema lex sit, primaq; Prin-
cipis cura esse debeat publica utilitas, licèt quandoq; cum privatorum
quodam detrimento id fiat, quis negabit, ejus quoq; qui Reipublicæ
clavum tenet, esse, ut prospiciat, ne semper Dominia rerum sint incerta,
nève perpetuæ lites vigeant? hoc verò salutari Præscriptionum ac
Usucapionum remedio fieri, unusquisq; emunctioris nasi videt. Ac-
cedit deindè, quòd Jus Nostrom Civile ab Ulpiano *in l. 6. ff. de J. J. de-
finiatur*, quòd neq; in totum à naturali vel gentium Jure recedat, neq;
per omnia ei serviat, quòd præsentì quoq; Juri Nostro præscriptio-
num applicare, non est difficile. Licèt enim à naturali paululum æ-
quitate propter bonum publicum recedere videatur, dum veteribus Do-
minis res suas aufert, non tamè in totum Juri Naturali contrariatur, cum
primum hujus præceptum sit publica tranquillitas, quæ ex Usucapione
resultat. Ut verò breviter ad objectiones dissentientium respondeamus,
nega-

negamus I. aliquem, qui usucapit aut præscribit, cum alterius injuria locupletior fieri. Cum enim ille, qui usucapere patitur, alienare videatur, l. 28. ff. de V. S. merito sequitur, omnem injuriam in Usucapiente cesare, nec ullum veteri Domino damnum inferri posse, quia damnum ex ejus culpa, negligentia nimirum processit. l. 203. ff. de R. 7. Quod II. textum Nov. 9. concernit, Dd. ut plurimum, posthabitis variis aliorum responsionibus, verba superius adducta, de illis, qui ex mala fide præscribunt, interpretantur, cui interpretationi meum quoque; ut calculum adjiciam, illa potissimum verba me movent: Nec iniquis hominibus impiū remaneat præsidium &c. quæ manifestè Imperatorem de malæ fidei possessoribus loqui arguunt.

TH. XV.

Causa efficiens propinqua Præscriptionis, sunt ex personæ, quæ præscribere possunt. Quicumque; verò possidere possunt, illi quoque possunt usucapere. Nulla enim sine possessione est Usucapio, l. 25. ff. b. t. cap. sine possessione de R. 7. in VI. Usucapere verò potest quis vel suo nomine, vel alieno. Alieno nomine usucapiunt, Procuratores, sed non nisi sciente Domino l. 49. §. fin. ff. de acquir. vel amit. poss. l. 47. ff. b. t. l. 1. C. de acquir. poss. Servi, qui quidem sibi ipsis Usucapione acquirere non possunt, cum Usucapio sit Juris Civilis, servi autem Jure Civili pro mortuis habeantur, l. 32. ff. de R. 7. bene tamen Dominis, etiam ignorantibus, §. 3. Instit. per quas pers. cuique; acquiritur, l. 1. §. 2. ff. de A. R. D. l. 1. §. 5. l. ff. de acquir. vel amit. poss. l. 8. ff. b. t. suo nomine usucapiunt, tam patresfamilias l. 4. §. 1. ff. b. t. quàm filii familias ratione peculii adventitii castrensis & quasi castrensis, l. 6. C. de bon. qua liberis, §. 1. Inst. per quas pers. cuique; acquiritur. Pupillus infans, tutoris autoritate l. 4. §. 2. ff. b. t. nisi animum possidendi habeat, & pubertati sit proximus, quò casu etiam absque tutore usucapere potest. l. 32. ff. de acquir. vel amit. poss. l. 4. §. 2. ff. b. t. Contra nequeunt usucapere. Furiosi, nequidem curatore accedente, l. 1. §. 3. ff. de acquir. poss. cum nullum planè possint negotium agere, nullamque; habeant voluntatem, l. 5. ff. de R. 7. & pro absentibus habeantur, l. 128. ff. eod. nisi ante furorem possidere cœperint, l. 4. §. 12. ff. b. t. Deportati, quiq; proscripti sunt ab impe-

lic. (arg.)

rio, cum nihil civiliter acquirere, ideoq; nec usucapere possint, §. 2. *Inst. de cap. demin. l. 5. ff. de extraordin. cognit. capti ab hostibus*, qui nec ceptam possessionem implere possunt, l. 23. §. 1. *ex quibus caus. Majores &c.* Jure Canonico deniq; omnes qui mala fide & vi possident, dummodo de mala fide constet. *c. fin. X. de prescr. c. possessor de R. J. in VI.*

TH. XV.

Objectum sive Materia prescriptionis, sunt regulariter omnes res, quæcunq; vel verè, vel quasi possideri possunt. Sunt autem eæ vel mobiles, vel immobiles, *princ. Inst. h. t. l. un. C. de Usuc. transf.* deinde vel corporales, vel incorporales, quæ & Jura dicuntur, §. un. *Inst. de reb. corporal. & incorporal.* Et quidem res mobiles olim indistinctè, immobiles verò eæ saltem, quæ soli Italici erant, Usucapionem recipiebant. Econtra res provinciales & non mancipi, quod non possent esse in dominio, non nisi possessionem pariebant, quod tamen deinde per Justinianum immutatum constitutumque fuit, ut res tam mobiles, quam immobiles, tam soli Italici, quam Provincialis, legitimo temporis spatio observatò plenè Usucapi ac præscribi possint, sæpè *alleg. l. un. C. de Usuc. transf. & l. un. C. de nudo Jure quirit. toll.* Res verò incorporales quod attinet, licet illas non posse possideri, dicatur in l. 43. §. 1. *ff. de A. R. D. l. 3. princ. ff. de acquir. poss.* ideoq; nec usucapi, cum uti sæpè dictum, usucapio possessioni innitatur, l. 25. *ff. b. t.* statuendum videatur, sciendum tamen eas, quamvis non propriè, quasi tamen ac impropriè possideri, l. 4. §. 27. *ff. b. t.* & ideo eas quoq; prescriptioni obnoxias esse, l. ult. *in fin. C. de prescr. long. temp.* An verò Jurisdictio præscribi possit, à Dd. communiter, licet parum hæc in re concordibus, disceptari solet. Et eam quidem Jure Civili non potuisse præscribi, procul dubiò statuendum videtur, tum quòd usucapio ac præscriptio non sit, nisi earum rerum, quæ in commerciò sunt, Jurisdictio verò nec in commercio, nec in bonis cujusq; sit, sed à lege detur, l. 1. *ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdictio.* tum quòd is, qui privatus est, non possit præscribere Jurisdictioni, ut amplius non sit privatus, cum is, qui pro Magistratu sciens dolò malò se gessit, crimen læsæ Majestatis committat, l. 3. *in fin. ff. ad L. Jul. Majest. Habn. not. ad Wesenb. de Jurisd.*

44
rūd. n. 9. Bachov. ad Treutl. v. I. disp. 3. rh. 3. lit. C. Sutholt de Ju-
rid. aphor. 410. & seqq. Hodie verò cum Jurisdictio pa-
trimonialis sit, & territorio plerumq; inhæreat, eam quoq; ad instar
aliarum rerum incorporalium præscribi posse, vix ambigendum pu-
to. Et quanquam variæ variorum sint sententiæ, quò tempore illi
præscribatur, nobis tamen placet hinc cum aliis distinguere inter Ju-
risdictionem territorio inhærentem, & ab eò separatam. Priorem
cum territorio, ut rem immobilem, 10. vel 20. annis, l. fin. C. de præ-
scr. long. temp. posteriorem verò, uti rem incorporalem, 30. vel 40.
annis l. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. præscribi posse statuimus.
Vid. Franc. Balb. de præscr. 2. P. 5. princ. qv. 3. n. 1. & seqq. Bachov.
l. c. Pauermeister, de Jurisd. 21. alii.

TH. XVI.

Coeterum prohibentur res aliquæ præscribi vel naturâ, vel lege: Na-
turâ præscribi nequeunt res sacrae l. usucap. 9. ff. h. t. §. 1. Inst. eod. item
res sanctæ & religiosæ l. qui universas 30. §. 1. ff. de acquir. poss. d. l. 9.
ff. h. t. Loca publica l. 45. ff. eod. Liber homo §. 1. Inst. eod. l. 21. C. de
Eviction. Cum enim hæ res non sint in commercio nulliusq; in do-
minium pervenire queant, princ. Inst. de R. D. l. 83. §. 5. ff. de V.
O. meritò sequitur, illas quoq; cum usucapio sit modus acquiren-
di domini, usucapionem effugere. Huc quoq; pertinere videntur
Jura ac reservata Principum, in signum supremæ Majestatis ipsis
concessa, quibus nullo etiam tempore præscribi posse, communis
Politicorum ac Jurisconsultorum sententia est, notumq; est
dictum Themistoclis; nec mortales adversus Deum immortalem, nec
privatos adversus Rempublicam præscribere posse. Plutarch. in The-
mist. & Cat. Bodin. I. de Rep. c. 10. Reinking. de R. S. & E. Lib. 1. cl. 2.
c. 2. n. 231. & seqq. Hinc privatus nullam contra tributa & publicas
functiones præscriptionem objicere potest, l. 6. C. de præscr. 30. vel
40. ann. Regalia tamen tempore immemoriali etiam contra ipsum
Imperatorem præscribi posse, communiter tradunt cap. super quibus-
dam, §. præterea X. de V. S. cum talis præscriptio vim privilegii,
ab ipso Principe concessi obtineat, l. 3. §. 4. ff. de aqua cottid. & est.
Lege verò præscribi prohibentur I. res vitiosæ, ut res furtivæ, propter
LL. 12. tabb. & l. Attic. §. 2. Instit. h. t. l. 4. §. 6. ff. eod. & res vi pos-
sese

H. Lic. (arg.)

fesse per l. Juliam & Plautiam. §. 2. Inst. b. t. l. 4. §. 25. l. 33. §. 2 ff. eod. l. 86. ff. de furt. l. 8. C. eod. nisi res istæ in Domini potestatem reversæ fuerint, adeoq; vitium sit purgatum, l. 4. §. 6. ff. & §. 3. Inst. b. t. l. ult. ff. vi bon. rapt. spinosa hîc sese offert quæstio, an nimirum partus ancillæ furtivæ usucapi possit, quam ut breviter enodemus, distinguendum esse videtur, an sc. ancilla prægnans surrepta fuerit, & apud furem pepererit, & tunc ille partus à fure ejusq; herede non potest usucapi, l. 11. §. 2. & seqq. ff. de publ. act. 10. §. 2. ff. b. t. l. ancilla 12. C. de furt. & serv. corrupt. an verò conceperit apud furem, pepererit autem apud bonæ fidei possessorem, & nec tunc usucapio procedit, l. pen ff. de stat. hom. l. 48. §. 5. ff. de furt. an deniq; & conceperit & pepererit apud b. f. possessorem, & tunc utiq; partus iste usucapi potest, l. 33 ff. b. t. l. 11. §. 2. & seqq. ff. de publ. in rem act. l. 45. ff. de furt. l. 3. C. de Usucap. pro empt. Vid. Donel. 5. Com. c. 25. Gæd. ad L. 26. ff. de V. S. Cujac. lib. 15. Obs. 20. Colleg. Arg. ad b. t. c. 8. n. 8. Bachov. Vol. 2. disp. 22. ib. 3. lit. A. & B. II. Res Præsidi. Proconsuli vel Prætori contra L. Juliam repet. data, l. 48. ff. de A. R. D. l. pen. ad L. Jul. repet. l. 18. ff. de Offic. Præs. III. Res fisci, quæ nempe fisco jam sunt nunciatæ. §. 4. Inst. b. t. l. 16 ff. eod. Quod si verò fisco non sint nunciatæ, ipsiq; ut ita loquar, incorporatæ, nihil utiq; obstat, quò minus legitimò tempore, quadrienniò nimirum usucapi queant, d. l. 18. ff. b. t. l. 1. C. de quadr. præscr. IV. Res Patrimoniales Principum, per eas verò intelliguntur illæ, quæ sunt in cujusque principis privata substantia ac domanio, uti aliàs vocari solet, l. 13. C. de fund. patrim. l. fin. C. de quadr. præscript. V. Bona adventitia filiorum familiæ, quamdiu sunt in potestate parentum, l. 4. §. fin. C. de bon. qua liberis. l. 1. & Auth. C. de bon. mat. Nov. 22. c. 24. cum non valenti agere non currat præscriptio, l. 1. in fin. C. de Ann. Except. Pinel. in Auth. d. l. Gil. de præscr. P. III. c. 3. n. 366. & seqq. VI. Res dotales immobiles, quæ aliàs alienari prohibetæ, l. 16. ff. de fund. dot. l. 30. §. omnis C. de Jur. Dot. l. 42. ff. b. t. Quodcunque enim alienari nequit, illud nec usucapi potest, l. 24. ff. b. t. solutò tamen matrimoniò utiq; usucapio procedit, d. l. 30. C. de Jur. dot. ut & si præscriptio, antequàm res in dotem data fuerit, jam sit inchoata, d. l. 16. ff. eod. VII. Res pupillares l. 3. ibi: Sed pupillari C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 3. C. quibus non ob-

jicitur

jicitur long. temp. prescr. l. 48. princ. ff. A.R. D. l. 1. ff. quem. serv. vindic. Ita, ut neq; contra pupillum præscriptio inchoari, neq; contra defunctum cœpta continuari possit, sed durante ætate pupillari dormire intelligatur. *Wesemb. ad h. t. n. 11. Treutl. Vol. 2. diff. 22. tb. 3. lit. g. ibique Bachov.* quòd si tamen res aliquæ pupilli, tutoris autoritate & consensu ritè alienatæ fuerint meritò quoq; eas usucapi posse, dicendum est, *l. 23. C. de administr. tut. l. 49. ff. de Minor. Bach. d. l.* Res tamen Minorum non eòdem, quòd pupillares, gaudent privilegio, cùm præscriptio 30. annorum, quæ tamen contra pupillos non currit, *d. l. 3. C. de prescr. 30. ann.* Minoribus noceat. Jure quidem Veteri etiam præscriptiones longi temporis currebant contra Minores, sed succurrebatur eis beneficio restitutionis in integrum *l. un. C. si advers. Usuc.* Quod Justinianus deinde immutavit, constituitque, ut præscriptiones longi temporis ipso Jure non currebant contra Minores *l. fin. C. in quibus caus. in integrum restit. non est necess.* VIII. *Res testamento alienari prohibita l. 2. C. de Usuc. pro Empt. l. ult. §. si autem pen. C. comm. de leg. l. ult. C. de rebus alienis non alienandis. Pinel. in Auth. nisi tricennalis C. de bon. mat.* IX. *Res mera facultatis, l. 2. ff. de viâ publ. & itin.* Communiter hîc à Dd. quæstio agitari solet, an Juri luendi pignoris, & pacto retrovendendi præscribi possit? Quod prius concernit, quanquam multis, actioni de luendo pignore, 30. ann. adinstar reliquarum actionum præscribi posse, videatur, nobis tamen contrarium potius arridet, & quidem propter hanc præcipuè rationem, quòd actioni non natæ non possit præscribi, *l. 1. C. de annal. exc. jam verò actio pignoratitia, & per consequens Jus luendi pignoris, tempore solutionis demum nascitur, l. 9. §. 3. ff. de act. pign. l. 13. §. 4. ff. de pign. ideoque huic actioni non prius, quàm post solutionem, præscribi potest.* Et hæc sententia in Foro quoque Saxonico est recepta, *P. II. Const. Elect. I. Vid. Gail. lib. 1. Obs. 18. Myrs. 1. Obs. 16. Covarruv. lib. 1. Var. resol. c. 9. n. 2. & seqq. Berlich. P. II. Concl. 2 n. 82. Franzk. Exerc. 5. qv. 7. Dn. Carpz. P. II. C. 1. d. 3. Posterius*

C

quod

P. Lic. (arg.)

quod attinet, idem quoque statuendum esse arbitramur, nempe pacto retrovendendi non posse præscribi, per *l. quod si 31. §. 22. ff. de edilit. edict. § l. 2. C. de pact. inter Emptorem & Vendit. Fachin. lib. II. contr. Jur. c. 13. Treutl. b. t. th 3 lit. l. Frantz. l. c. X. denique Jure Canonico non possunt præscribi decimæ à Laicis, c. causam. 7. X. de præscr. Heinr. Canif. tr. de decim. c. 13. n. 2. & seqq. & tantum de causa materiali.*

TH. XVII.

Sequitur jam forma præscriptionis, quæ potissimum in tribus hisce requisitis consistit, *possessione, justò titulò & bonâ fide*, de quibus singulis breviter agemus. Possessio, cum absque ea nulla Usucapio ac Præscriptio possit esse, tantumq; videatur præscriptum, quantum possessum, *l. 18. §. fin. ff. de acquir. vel amit. possess. l. 1. §. 5. ibiq; gloss. de itin. actusq; privato*, Jure merito primum Præscriptionis requisitum cenletur. Ea verò cum duplex sit, *Naturalis & Civilis*, *l. 2. §. 1. ff. pro her. l. 3. §. fin. ff. ad exhib. l. 38. §. 7. de V. O.* illaque nuda saltem detentio, hæc verò cum animo sibi habendi conjuncta sit, unusquisque facile videt, *Naturalem* in Usucapione non sufficere, sed requiriri *Civilem*, cum Usucapionem non nuda saltem detentio, quæ corpore fit, sed animus potissimum sibi habendi atq; affectio domini pariat, *l. 3. §. 1. ff. de Publ. act. l. 2. ff. pro her. l. 1. C. comm. de Usuc. l. pen. C. de præscr. 30. ann.* Hinc illi, qui alterius nomine ac naturaliter possident, uti *Colonus, Usufructuarius, Creditor, &c.* nunquam usucapere possunt, cum animo sibi habendi destituantur, *§. 4. verb. fructuarius, Inst. per quas pers. cuiq; acquiritur. l. 10. §. ult. ff. de A.R.D. l. 13. § l. 33. §. 4. ff. h. t. l. 15. §. 2. ff. qui satisdare coguntur.* Ut verò ritè perficiatur possessio, requiritur tum *continuitas*, *l. 3. ff. h. t. §. diurnum. Inst. eod. l. 2. C. de præscr. long. temp.* tum quoque legitimum tempus, intra quod finiatur. Continuitatem quod attinet, sciendum est, eam non intelligi in unâ tantum, sed etiam in diversis personis, adeò, ut usucapio primi Authoris, successori quoque, ut hæredi pro-
fit,

lit, l. 13. §. 12. ff. de acquir. poss. §. 5. & 7. Inst. h. t. l. 14 & l. 43.
ff. eod. Licet enim stricto Jure possessio, cum sit facti, l. 29. ff. de
acquir. poss. l. 19. ff. ex quib. caus. major. personam non egredia-
tur, & proinde possessio defuncti per mortem ejus interrumpatur,
nec in heredem continetur, l. 23. in princ. ff. de acquir. poss.
æquitatis tamen causâ placuit, quoniam res citra medium ab
uno in alterum transfertur, ut accessio temporis fiat, & Usuca-
pio defuncti in herede continetur, & pro unâ habeatur. l. 14.
in princ. ff. de div. temp. præscr. §. 7. Inst. h. t. Cum verò duo
reperiantur successorum genera, universales nempe & singula-
res, utrisque quidem prodest auctoris possessio, non tamen
unò eodemque modò. Etenim successoribus universalibus, ut
heredibus & bonorum possessoribus, quæcumque illi habeant
fidem, l. 43. ff. h. t. l. 2. §. 19. ff. pro Empt. defuncti bona fides
ad Usucipiendum prodest, mala verò defuncti fides in tantum
nocet, ut ne quidem ex sua ipsorum persona Usucapionem in-
cipere queant, l. 14. §. 15. ff. h. t. l. vitia 11. C. de adq. poss. l. 11.
ff. de div. temp. præscr. Contra singulari successori bona qui-
dem Auctoris fides prodest, dummodò ipse quoque bonam fi-
dem habeat, mala verò ipsum non impedit, quò minus, si ex
suâ ipsius personâ, possessionis tempus, bonâ fide cceptum, com-
putare velit, legitime usucapere queat, l. 2. §. 17. ff. pro Empt. l.
4. C. de R. V. l. 5. ff. de div. & temp. præscr. l. 38. ff. h. t. Ra-
tio differentie inter Universalem & singularem successorem,
manifesta est; Ille enim cum defuncti personam repræsentet, in
omne quoque Jus ipsius succedit, & per consequens causam
possessionis sibi mutare, aut ignoratione suâ defuncti vitia ex-
cludere nequit, l. 11. ff. de div. temp. præscr. Huic verò, cum
repræsentatio in eò cesset, mala quoque Auctoris fides non no-
cet, quò minus ipse, si in bonâ fide fuerit, præscribere possit.
Tempus præterea legitimum, cujus cancellis uniuscujusque
rei præscriptio includitur, quod attinet, cum supra in *ib. X.*
ubi de divis. egimus, de eò dictum sit, idèq; ea hic repetere,
grambemque bis coctam apponere, merito superfedemus.

C. 3

TH. XVIII.

Lic. (arg.)



Secundum præscriptionis requisitum, in th. præc. constituimus *justum titulum*, princ. Inst. b. t. l. Celsus 27. ff. eod. l. servum 22. C. fam. hercisc. Per justum verò titulum intelligitur iusta causa, & ad Dominium transferendum idonea, l. 24. C. de R. V. l. 3. ff. de Publ. in rem act. l. fin. C. de præscr. long. temp. Ubiunque itaque nullus adest titulus, sive lucrativus, ut ex donato vel legato, sive onerosus, ut ex empto &c. ibi nulla quoque potest esse usucapio, utpote iustâ causâ destituta, d. l. 24. C. de R. V. l. 5. l. 6. C. de acquir. poss. l. un. §. cum autem, ibi: ut in omnibus iustò titulò C. de Usuc. transf. Excipiuntur tamen præscriptiones longissimi temporis, 30. vel 40. ann. item temporis immemorialis, in quibus titulò non est opus, tam Jure Canon. c. placuit 16. §. præscr. qu. 3. c. 1. X. de præscr. in VI. Coler. in C. de quartâ X. de præscr. n. 38. & seqq. quàm Jure Civili l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Nov. 119. c. 7. in fin. Gilk. de præscr. P. II. membr. 1. c. 11. per tot. Balb. de præscr. P. II. part. 3. princ. qu. 13. Covar. variar. resol. lib. 1. c. 17. n. 7. Franzk. Exerc. 5. qu. 8. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. disp. 22. th. 5. lit. h. An autem in servitutibus quoque præscriptione titulò sit opus, hîc à Dd. disquiri solet? Nobis negantium sententia arridet, cum patientia illius, contra quem præscribitur, in servitutibus sit locò tituli l. 10. ff. si servitus vindic. l. fin. ff. de aquâ & aqu. plu. arc. l. 2. C. de servit. Vid. Gilken. P. II. membr. 1. c. 10. per tot. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. disp. 17. th. 9. Franzk. comm. ad ff. t. comm. præd. num. 11. & seqq. Hahn. in not. ad Wesenb. de servit. n. 5. Porro tituli iusti sunt vel generales, vel speciales. Hi sunt, tituli pro Emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro dote, pro soluto, t. t. ff. pro soluto, pro empto &c. illi, titulus pro suo, l. 1. ff. pro suo, qui tamen ipse diversò respectu quoque specialis esse potest, quando nempe alii tituli speciales cessant, & tamen iusta est possessio. Bachov. Vol. II. disp. 22. th. V. lit. G. Hahn in not. ad d. t. pro suo n. 1. Ante omnia verò necesse est, ut titulus, qui pro usucapione allegatur, sit verus & non erroneus,

us, l. ult. C. de Usuc. pro her. l. 22. ff. h. t. §. error. 6. Inst. eod. cum error falsæ causæ Usucapionem non pariat, l. ult. C. pro donato, l. 1. ff. eod. nec falsa existimatio veritatem mutet, l. assumptio 6. ff. ad Munic. Quod si tamen justa erroris causa fuerit, titulus putativus ad usucapiendum sufficit, l. 11. ff. pro Empt. l. ult. §. 1. ff. pro suo l. 44. §. 4. filiusfamiliæ ff. h. t. l. 4. ff. pro Legato. Gilk. P. II. membr. 1. c. 1. n. 20. & seqq. Colleg. Arg. ad h. t. §. 17.

TH. XIX.

Ultimum denique Præscriptionis requisitum est *bona fides*, quæ definitur communiter, quod sit: Justa opinio, quâ quis existimat rem esse suam, l. bonæ fidei 109. ff. de V. S. Sufficit verò Jure Civili, saltem ab initio bonam fidem, tempore nempe traditionis adesse, l. 15. §. ult. l. 44. ff. h. t. l. 11. ff. de div. tempor. præscr. cum superveniens mala fides usucapionem semel inceptam neutiquam impediatur, l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. l. 2. in princ. ff. pro Empt. l. un. §. hoc aut. C. de Usuc. transf. excipitur tamen contractus, Emptionis ac Venditionis, ubi tam tempore contractus, quam traditionis, bona fides necessariò requiritur, d. l. 2. ff. pro Empt. l. 3. ff. pro suo. Jure autem Canonico bona fides, tam initio, quam medio & fine adsit, oportet, ut res legitime præscribatur, aliàs enim superveniens mala fides quòcunque tempore, nondum impletam Usucapionem, licet bona fide inceptam, impedit, C. fin. X. de præscr. c. si diligens 17. eod. c. 2. de Reg. Jur. in VI. Hancq; Juris Canonici constitutionem in camera observari, testantur Gail. 11. Obs. 18. n. 7. Myns. 2. Obs. 6. In Foro verò Saxonico bona fides ex longissimi temporis cursu regulariter præsumi solet, is tamen, contra quem præscribitur, si malam præscribentis fidem probare possit, præscribentem hòc modò repellere non prohibetur. Dn. Carpz. P. II. C. 3. def. 7. & 8. & lib. II. Resp. 40. Heig. P. I. qu. 16. n. 59. Rauchb. P. II. qu. 28. n. 36. Bona fides prætereà ex communi Dd. sententiâ allegari debet, ita, ut præscribens, nisi eam alleget, succumbere debeat, arg. l. 38.

lic. (arg.)

l. 38. §. 7. ff. ad L. Jul. de adult. Masc. Vol. 1. de prob. Concl. 224. n. 20. Franc. Balb. in repet. l. Celsus Gilk. P. II. Membr. 1. c. 22. n. 25. Gail. lib. II. Observ. 46. n. 22. Excipitur tamen præscriptio 30. vel 40. ann. ac multò magis immemorialis, in quibus nec titulum, nec bonam fidem, requiri, cùm solò lapsu temporis ibi innitatur, palàm est, *l. 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 1. §. ad hæc C. de ann. Exc. Nov. 119. c. 7.* Antequàm verò huic thesi Colophonem imponamus, placet, paucis elegantem illam quæstionem discutere, an nempe dubitans habeat bonam fidem, & per consequens præscribere possit? Et quanquam multi affirmativam arripiant, dubitationem inter bonam & malam fidem mediè instar esse statuentes, nobis tamen negativa, ob sequentes potissimùm rationes placet. I. enim cùm bona fides suprâ definita fuerit, justa opinio, quâ quis rem existimat esse suam, *l. 109. ff. de V. S.* ultrò sequi videtur dubitantem, cùm ille vacillet, ac in utramq; dubius partem feratur, nullam habere bonam fidem, adeòq; nec usucapere posse. II. Bona & mala fides adeò inter se contrariæ sunt, ut medium inter utramq; dari non possit; cùm itaque dubitans bonâ fide destituatur, illum in mala fide necessariò esse sequitur. III. accedunt, *l. 32. ff. h. t. l. 10. C. de acquir. poss. l. ult. ff. unde vi Vid. Meyer. Colleg. Arg. ad h. t. §. 14. n. 3. Bachov. Vol. 2. disp. 22. th. 6. lit. C. Gæd. ad L. 109. ff. de V. S. n. 3. Hunn. ad Treutl. h. t. qv. 43.*

TH. XX.

Finis præscriptionum est vel *ultimus* vel *subordinatus*. *Ultimus* est salus Reipublicæ, publica nempe tranquillitas & quies, quam omnibus modis conservare, Reipublicæ quàm maximè interest. Hâc enim sublatâ, quid nisi tumultus, seditiones, milicæq; alia hujus generis deploranda corruptæ Reipublicæ indicia irruent. Ideòq; eò omnibus modis prospiciendum est legislatori, ut ea semper facta tectaq; servetur. *Subordinatus* est, tum *Dominiorum certitudo*, ne sc. semper dominia rerum sint inincer-

incerto, l. 1. ff. de Usurp. & Usuc. eoque tendunt Cicer. verba
in Orat. pro Cæcin. dum ait: Per Usucapiones nobis dominia cer-
ta sunt, & is, qui tollit eas, unicum illud vinculum tollit, quò affir-
mare possim, hanc rem vel illam in nostro esse Dominio. Tum li-
tium ac Controversiarum finis, l. ult. ff. pro suo, has enim quanto-
cuius consopiri, publicè omnium interest, l. si cuius 13. §. equis-
tum ff. de Usufr. l. properandum 12. C. de Judic.

TH. XXI.

Effectus pro duplici præscriptionis consideratione, duplex
quoque est. Quatenus enim est Modus acquirendi Domini-
i, cætenus plenum adjicit possessori Dominium, non solum utile,
sed quoque directum, l. 20. C. de part. l. un. C. de Usuc. transf.
ita, ut Possessor rem legitimè usucaptam non solum à quovis ex-
traneò, sed etiam ab ipsò antiquò dominò vindicare possit,
l. 8. in princ. C. de præscr. 30. vel 40. ann. quamvis Publiciana
contra ipsum Dominum non detur, l. pen. & ult. ff. de Publ. in-
rem act. Quatenus verò ut Exceptio consideratur, ut sunt præ-
scriptiones actionum & criminum, tunc actionem tollit ipsò Ju-
re, l. sicuti in rem 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. impeditq; litis
contestationem, c. 1. de lit. contest. in VI. estq; similis solutioni,
l. 45. ff. de Administr. & peric. tut. ac quamvis obligationem
perimit.

TH. XXII.

Restant adhuc ultimò contraria, quæ breviter itidem per-
curremus, suntq; duplicis generis. Quædam enim ipsam statim
tollunt præscriptionem, & omninò eam perimunt, quædam
verò saltem nativitatem ac progressum ejus impediunt. Prioris
generis est usurpatio, sive interpellatio, l. 10. C. de acquir. poss.
l. 1. C. de præscr. long. temp. definiturq; quòd sit Usucapionis
interruptio, l. 2. ff. h. t. quâ nempe usucapio interpellatur, & ita
destruitur, ut ab initio iterum sit inchoanda, d. l. 10. C. de acquir.
poss. & est vel Naturalis, vel Civilis. Naturalis illa vocatur, quæ
natu-

l. sic. (arg.)

possessionē alicui naturali aliquō factō, eoq; tam propriō, quā
alienō, intervertit, ut si quis vi ea dejiciatur, l. 5. ff. b. t. vel alicui res
eripitur; cū enim possessio hōc modō interrumpatur, ipsa,
quoque Usucapio, utpote primariā suā basi destituta, concidat,
necessē est, l. 25. § 44. ff. b. t. item, si, quis spontē possessionem
dimittit, si prædium à mari aut flumine occupatur, l. 3. §. 17. ff. de
acquir. poss. & generaliter, quibus modis amittitur possessio,
iisdem & Usucapio interrumpitur. *Civilis* verò est, quā fictio-
ne & autoritate Juris Civilis præscriptio interrumpitur, & duo-
bus modis contingere solet; vel litis contestatione, l. 10. C. de ad-
quir. poss. l. 26. C. de R. V. vel simplici citatione aut in Jus voca-
tione, aliāvē quāvis extrajudiciali denunciatione, *Jur. Nov. te-
stato facta* l. 3. § 7. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 2. C. de ann.
except. Nov. 119. c. 7. Posterioris generis contraria sunt *Ætas
pupillaris*, quæ usucapionem impedit, ut ne quidem incipere pos-
sit, l. 48. ff. de A. R. D. vid. *supr. th. 16. Bellum & hostilitas* l. ab
hostibus 6. C. quib. non objic. long. temp. præscr. cū eo tem-
pore quis impediatur, quò minùs rebus suis prospicere, ea-
rumq; curam habere possit, c. ex transmissa X. de Præscr. *Pesti-
lencia* ob eandem rationem *Restitutio in integrum* l. 1. §. ult. §
t. t. ff. ex quibus caus. *Majores in integrum* § c. l. 1. 6. § 8. C.
quibus non objic. long. temp. præscr. l. 35. ff. de S. P. R. Et hæc
impresentiarū de ampla & nobili hac materia dixisse suf-
ficiat, in qua, si me alicubi errasse contigerit,
meliora docentem lubentissimè
sequar.


F I N I S.




X2615893

K1077







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

V. 1668, 16
M JURIDICAM
IPTIO.
S,
& Nobilissimi
stri Philurêa,
ENTISSIMO ATQVE
MO,
O ROMANO,
berrimo,
ac Praeceptore
rando,
æ submittit
o 1668.
DUS BURSIUS,
Æ,
MICHAELIS,

P. Lic. (arg)

